

culum? Ecce quantum irascatur tonitru ipsius! inquit cum admiratione, Physicus in sacris decantatissimus Hiobus. Nos tuam, Deus potentissime, majestatem veneramus, gratiam interea invocamus supplices.

## SECTIO I. DOGMATICA.

### THEOREMA. I.

#### DE FULMINE.

*Fulmen est meteorum ignitum, intra nubes detentum, & exiis, propter nitri sulphurisque pugnam, violenter per aerem ad Terram detrusum.*

§. I. Fulmen à feriendo, quòd sit jaculi cœlestis ictus. Auctore Isidoro, derivatur. Sed rei ita fit expositio, non nominis. Rectius à fulgendo dicitur. Fulgimen enim fulmen est. Lata nimis ejus est acceptio, cum pro impetu ac violentiâ usurpatur. Cicero quidem ad Papyr: *Insanire tibi videris, inquit, quòd imitère verborum meorum, ut scribis, fulmina.* Idem. 2. Tufculan: *Si omnia fugienda turpitudinis adipiscendæque honestatis edus à faciamus, non modò stimulos doloris, sed etiam fulmina fortune contemnamus, licebit.* Eberinis פֶּרַק à radice פֶּרַק fulguravit: Græcis Κεραυνός, fulmen appellatur. Hinc Ceraunia, Acroceraunia montium in Epiro, juga, & ad mare usque Adriaticum, longissimo exporrecta tractu, dicuntur. A fulminibus nempe, quibus indefinenter propemodùm petuntur. Ovidius Eleg. 6. de Ponto, canit:

*Quùm poteram recto transire Ceraunia velo,  
Ut fera vitarem saxa, monendus eram.*

§ II. Ad rem, dimisso nomine, nunc abeundum. Genus, fulminis, remotum, meteorum est, proximum ignitum. Accidens enim fulmen, quòd tale est, ex effluvio præpingui ac sulphureo accenso oriundum. Accidens inquam, non corpus imperfectè mixtum. Quæ incommoda illorù sententia est, qui uni, in præjudicium veritatis, nomina dederunt Aristoteli. Impressiones meteora cuncta sunt, aquea, ignea, spirituosa. Imagines sigillo inculpuntur, & imprimuntur ceræ. Non absimili-

ter